

56 Prax. Chymiatri. Sect. I.

℞. Rad. pæon. sole in libræ
in grediente collect. ℥j.
Stercoris Pavon. albiss. ʒss.
Cinnabar. ℥ij. ʒss.
M. F. pulv.

Cæterum ea, quæ modò de caduco di-
cta sunt, quia vertigo ejus species est,
in hac conducunt.

CAP. VI.

De

Gutta.

Gutta
quid?
Synovia
quid.

Gutta est ablatio Synoviae à suâ
parte, ita cum Synovia (quæ est,
radix & ipsa essentia vitæ par-
tis suæ nutrimentum & conservatio re-
tentivæ & motivæ virtutis ex vitibus
virtutis digestivæ) à parte aliqua sepa-
ratur, statim insensibilitas & privatio
motus sequitur, in synovia enim est vir-
tus sensitiva non in parte: Separatur
Synovia à sua parte per fulmen micro-
cosmi, per sulphur stupefactivum, quod
accenditur per Martem, Mars verò est
spiritus sulphuris, unde sibi non con-

trariantur causæ à Paracello positæ, dum dicit de pestilitate tract. 3. cap. unic. p. m. 312. Guttam oriri ex veneno Martiali, & alibi; Guttam generari ex conjunctione astrorum, ex conjunctione venenum, venenum autem accendi ab igne Microcosmi, Causa enim modo proxima modo remota ponitur. Nec est quod objicies Paracels. lib 1. paramir. cap. 6. apoplexiam appellare Mercurium Cachymialem sublimatum, cum dicat esse speciem guttæ, Guttæ verò causam fulmen, fulminis sal & sulphur. Ad hoc respondent alii favore & patrocinio unitatis in naturæ academia omnes has locutiones admitti, multa enim hic unita esse quæ sensus non possit discernere, verum quidem est præstare nomina rebus, quam res nominibus accommodare, sed adversario pertinaci non sufficiet hæc responsio, mea est quando Apoplexia appellari debet Mercurius Cachymialis sublimatus intelligitur apoplexia ex caduco, quæ non est species guttæ. Etposito quod intelligat apoplexiam ex Guttâ, quid verat, Mercurium sublimatum coagulatum ponere causam proximam, salem & Sulphur antecedentem; ex sale enim

Obiectio.

Resp. 1.

Non placet.

Resp. 2.

enim & sulphure microcosmico fulmen
microcosmi, quod idu suo coagulat
Mercurium. Dico coagulatum ad dif-
ferentiam sublimationis Mercurii reso-
luti in caduco.

*Favet
sent. Glis-
sonii.*

*Causa
motus na-
turalis.*

Dicit Paracelsus *Guttam esse ab-
lationem synoviae à parte*, cui defini-
tioni à causâ desumptæ patrocinetur *Glis-
sonii* de succo nutritio per nervos sen-
tentia; de quâ vid. ejus *anatom. Hepa-
tatis*. Mediantibus spiritibus animalibus
velocissimo impulsu per nervos in
musculos influentibus nos moveri &
per impressam nervorum extremitati-
bus ab objecto motum per eos ad prin-
cipium eorum & cognitionis sedem
continuatam nos sentire scimus: Pro-
hibito verò influxu spirituum cessat mo-
tus voluntarius, cujus sunt causa: &
nervis interceptis cessat motus ab ob-
jecto impressus ad cognitionis sedem
transferendus & per consequens sen-
satio: E. gr. tractâ aliâ extremitate
funis in alterâ campana cohærens so-
num edit, intercepto verò fune, ut tra-
ctus ad alteram usque partem continu-
ari non possit tum nec campana mo-
vebitur nec sonabit. *Spiritus vero a-*
nimalis

Cap. VI. de Gutta. 59

animales, qui nihil aliud quam ignis, ca-
li dum innatum, puros nunquam repe-
ries & sine subjectâ materiâ existentes,
quam ut domicilium inhabitant, quin
& vehiculo & alimento indigent, quod
est humidum radicale, illud quod nos
& ignem nostrum nutrit, & Glissonius
per nervos distribui vult; Hoc verò co-
agulato & separato, à materiâ coagula-
ta, quæ rarefacta antea & subtilis ad
influxum idonea requirebatur, inter-
cipiuntur nervi & illi nempe spiritus
animales & vehiculo & alimento desti-
tuuntur, inde torpidi fiunt & extingui-
untur. Hippocrates lib. 1. de diæta,
Τὸ πῦρ, inquit, δύναται πάντα διὰ
παντὸς κινῆσαι, τὸ ἢ ὕδωρ πάντα διὰ
παντὸς θερμῆσαι. ταῦτα ἢ ζυγαμφοῖρα
αὐτάρχεια ἐστὶ, τοῖσι τοῖς ἄλλοισι πᾶσι, καὶ
ἄλλήλοισιν, ἐκάτερον ἢ χωρὶς οὐκ εἰς.
Ἰὼ ἑαυτῷ οὐκ ἄλλω δυνάει &c. Hoc est:
Ignis omnia universim movere po-
test, aqua omnia per tota nutrire.
Hæc verò duo sufficientia sunt tum
aliis omnibus tum sibi ipsis: seorsim
verò utrumque neque sibi ipsi nec a-
liis &c. Quid aliud his significare vo-
luit, naturam manifestè declarans,
quam

Causa
destruenda.

60 *Prax. Chymiatr. Sect. I.*

quam per ignem calidum innatum, si-
ve spiritus voces, quo & nos movea-
mur, quid per aquam ac humidum ra-
dicale, quo & nos nutriamur; Hoc ve-
rò expresse addit, illa conjuncta non
separata esse debere, seorsim enim u-
trumque nec sibi nec aliis sufficere i-
e. nec ignem (calidum) sine aquâ (hu-
mido) nec aquam sine igne existere
posse.

Obj. 1. Dices. Si humidum radicale cedit
in nutrimentum igni, quomodo cor-
pus eo nutrirî poterit. Respondeo
ex citato dicto Hippocratis, Hæc sibi
ipsis sufficientia esse & aliis omnibus;
Quo ad partem purissimam & subti-
lissimam esse vehiculum & nutrimen-
tum calidi innati, minus verò purum
& subtile corpori cedere in nutrimen-
tum.

Obj. 2. Dices 2. si nervi sunt canales spiri-
tuum animalium, quomodo possunt
esse succi nutritii vasa deferentia. Hic
Resp. responderi poterit ex sententiâ Carte-
sij 1. ignem non esse substantiam di-
1. stinctam à subjectâ materiâ, sed inten-
sissimum motum particularum, quæ

nunc

hunc duplicis generis in Balsamo hoc vitali continentur magis vel minus mobiles; 2. præsupponendo duplices in nervis meatus, fibrarum nervorum cavitates & interstitia earum. Intentiori motu agitatae particulae ideoque & calidiores & subtiliores, quæ spiritus animales vocantur cavitates fibrarum nervorum, quæ licet manifestæ non appareant, à posteriori tamen satis probari possunt, minus mobiles & subtiles interstitia earum ingrediuntur, quia pro dispositione suâ transitum offendunt & sic per nervos ad debita loca, illæ pro movendo, hæ pro nutriendo transmittuntur.

Resp.
2.

Et certè ex hoc loco Glissonius celeberrimus, non invalidum petiit argumentum, quo probat nutritionem fieri per nervos: *In paralyti, inquit, partes resoluta ob fibrarum laxitatem facilemque sanguinis affluxum, initio subtumida apparent. Constat tamen id a genuino partium nutritarum incremento minimè fieri: Quippe eadem postea, & si sanguis usque copiosè allabatur, paulatim*

Glissonii
Argum.

62 Prax. Chymiatr. Sect. I.

tim marcesunt; ut jam præter ossa
& pellem vix quicquam supersit,
Argumento haud obscuro vasa, per
qua nutriantur, obstructa esse; ner-
vos scilicet: quippe vena & arteria
morbi hujus immunes sunt, nervi-
que soli officio suo malè funguntur.

Collatio
sent.

Quis veteret nunc, cum dicitur 1. Gut-
tam esse ablationem Synovia a suâ par-
te, per synoviam succum illum nutriti-
um intelligere, qui quando coagulatur
per nervos influere nequit & sic à par-
te separatur. Paracelsus synoviam eti-
am vocat *das gliedivasser*. Et Glissonius,
dum pro stabiliendâ hâc senten-
tiâ inquit in anatomia Hepatis pag. m.
498. *E nervosarum partium vul-
neribus sæpè humor rosçidus albumi-
ni ovorum non absimilis extillat:*
*qui certè ob arteriis, & venis mi-
nimè profluxerit; ideoque verisimi-
le est eundem à nervis proficisci.*
&c.

Dicitur 2. Synoviam esse radicem
& ipsam essentiam vitæ; vitæ nostra
consistit in spiritibus & quidem pri-
mariò

mariò in eorum motu & radiatione; Quamdiu enim moventur & lumine radiant, vivit animal, quam primum cessat radiatio, cessat vita. Vita autem & radiatio illa statim incipit cum motu. Spirituum verò horum substantia & essentia est humidum radicale sive synovia illique ingenuus motus, quo sublato & ipsa vitæ essentia tollitur.

Dicitur 3. *Quod sit partis sue nutrimentum & conservatio retentiva & motiva virtutis.* Quod sit partis sue nutrimentum ante diximus & clarè patet ex citato dicto Hippocratis, quod aqua omnià nutriat & quod hæc duo sibi ipsis & aliis sufficientia sint. Et *conservatio est retentiva & motiva virtutis.* Humidum n. radicale est indissolubilis & subjecta materia calidi innati, sine quâ hoc sustineri non potest & quamdiu illud adest conservatur. Quid aliud *retentiva & motiva virtus* quam ignis sive calidum innatum hominis? *Ex viribus virtutis digestiva* i. e. mediante depuratione & subtilisatione. Non moretur lectorem de nevolum, spiritus animales variis nominibus modò ignis, modò calidi innati: Sic & Synoviam sive succum nutritium modò aquæ, modo humidi radicalis appella-
tis

64 Prax. Chymiatr. Sect. I.

ri, sunt enim eadem planè res. Dicuntur calidum innatum & humidum radicale, non quod sint eadem numero, quæ nobis à primo generationis termino insunt, sed eadem specie, quotidie enim & invicem consumuntur & propagantur, seque mutuò succedunt, non aliter ac de lapidis flammâ innumera- biles aliæ accendi possunt.

Paracelsus in scholiis in lib. 1. de gradibus & compositionibus, cui titulus Thesalus secundus pag. m. 989. ait *Paralysin, apoplexiam, consumptionem, esse materiam de resolutio sicco aut de resolutio coagulato*: ubi Dices: Quomodo resolutum esse & coagulatum esse ut contraria possint simul stare. Respondeo 1. Resolutum sumitur dupliciter vel pro attenuato vel pro eo, quod vim Balsameam amisit, quo posteriori modo intelligit *Paracelsus*, quod videre est, cum in schol. in tract. 2. lib. 2. de Tartaro *Guttam ex resolutione Balsami oriri*, asserit, tumque sibi non contrariantur. Respondeo. 2. & si resolutum sumatur pro attenuato, ita tamen non erit accipiendum, cum dicitur de resolutio coagulato, ac sit se-
cun-

Obj.

Resp.

1.

Cap. VI. de Gutta. 65

eundem idem & eodem tempore & resolutum & coagulatum: sed quando illud quod in statu naturali resolutum esse debebat, intellige spiritus animales ut debite in organa sensus & motus influere possint, coagulatur & ad motum fit ineptum.

His præmissis ad causas antecedentes internas. *Synoviam separari ait Paracelsus per fulmen microcosmi tractatu de Gutta pag. m. 526. & seq. Gutta ex conjunctione astrorum oritur, ex conjunctione venenum: venenum autem accenditur ab igne microcosmi. Item Gutta in microcosmo est fulmen macrocosmi i. e. Est in homine gutta eadem generatio, ut fulminis ac fulguris in majori mundo, quemadmodum autem fulmen macrocosmi penetrantissimâ suâ vi & spirituali planeque admirabili impressione calceos illæsis pedibus adurit, ligna & arbores accendit non stramen. Dolia in quibus vinum continebatur adussit vino ita compacto ne diffluere potuerit & aliâ stupenda patrat. Sic & Gutta liquefacit & in unam quasi massam compingit synoviam cerebri, cordis, Pulmonum, instar ceræ ab igne lique-*

*Causa
antece-
dentes
internas.*

E facta,

factæ, partibus illis salvis manentibus. A cerebri arce vel vertice capitis ferit membra exteriora, manus, pedes, vim comburit & virtutem sensitivam & motivam illius membri consumit. Si ferit linguam sequitur privatio loquelæ salvâ mamente substantiâ sed non essentiâ. Quod manifestè demonstrat spirituales & astrales morbi essentiam, dum spiritus soli in spiritus agunt. Cum pulmones tanguntur, sequitur suffocatio à fumo & vapore, pro ut à fulmine externo homines sæpè suffocantur. Sicut verò partes sulphuræ & salinæ fulminis macrocosmi ab igne firmamenti tanquam tertio, ita & microcosmi ab igne microcosmico seu cælo medio accenduntur, cælum enim hominis spirituale est, & impressiones habet spirituales ideoque alij ðctum non audiunt, sed ille qui patitur, quo non secus ac de cælo tactus concidit. Hæc ille loco modò citato.

*Causa.
Galen.*

Galenici cum nobis consentiunt in causâ immediatâ horum morborum, quæ est prohibitus influxus spirituum animalium in organa sensus & motus, sed in hoc maximè discrepant, dum dicunt influxum spirituum animalium
pro:

Cap. VI. de Caduco. 67

prohiberi j. à phlegmate circa principium spinalis medullæ collecto idque ostruente, quod etiam probari videtur quorundam observationibus anatomicis in cadaveribus apoplexiâ de mortuorum, quibus serosum humorem copiosum ibidem collectum reperisse dicunt, sed ad hoc favore sententiæ Glissonii & Paracelsi responderi potest, Humorem ibidem collectum non fuisse phlegma excrementitium, sed Paracelsi synoviam, sive succum nutritium per nervos distribuendum ibidem coagulatum, qui cum in statu naturali spiritualis & rarefactus nunc coagulatione condensatus angustissimos nervorum meatus, ingredi nequit. Et sic per consequens spiritibus quoque meatus præcluditur. Paracell. tract. de Guttâ. pag. m. 529. Phlegma est tantum excrementum cerebri, apoplexia non est excrementum, sed res subtilissima ex astris arcanis firmamenti. 2. à sanguine, bile & melancholiâ ostruendo vasa cerebri & sic principium nervorum comprimendo spirituum quoque animalium influxum impediri ajunt; dissentit Fernellius

ii
Phlegma
Probatum.

Resp. ad
prob.

rejeitur
a Paracelso.

2.
Sanguis
66

68 Prax. Chymiatri. Sect. I.

Non
placee
Fernelio.

Nec pa-
racelfo.

lius inter Galenicos doctissimus lib. v. de partium morbis & sympt. cap. 3. pag. m. 273. Neque enim, ait, à sanguine neque à Melancholiâ hanc gigni verisimile est, etiamsi toto corpore exuperent. Et Paracellus. loco modo supra citato. Dicunt sanguinem esse causam gutta sed malè, sanguis enim istis non est sufficiens & nimis crassus (grob) ut exinde talis generatio esse queat. Et sic omnes humores. Ad obstructionem etiam requiritur coagulatum tenax, sanguis verò cum sit temperatus proprie ita dictus morbum hunc inferre non potest. Bilis flava subtilis est & fluxilis juxta Galen. lib. 2. de natur. facult. ita ut coagulationem vix sustineat. Melancholia secundum eorum hypothesin sicca quidem est & frigida, consistentiâ tamen minimè tenax: siccitatis autem ratione nervos potius contraheret, quam relaxaret, relaxari autem eos in hoc morbo probatione non indiget. In externis, quod causæ internæ ab externis, à cibo, potu, repletione, somno &c. promoveantur, consentit Parac. in comm. in aphor. 1. Hipp. Sect. 2, pag. m. 707. & 708.

Spe.

Cap. VI. de Gutta. 69

Guttes Species sunt Apoplexia, Paralysis, Lethargus & Tortura oris. Paracelsi, de vita longa lib. 2. cap. 2. pag. m. 844 item de Gutta pag. m. 526. unde dividitur Gutta commodè in universalem & Particularem.

Divisio
Gutta
que

Universalis est Apoplexia, Cum Homo veluti de caelo tactus concidit, sensu & motu omninò privatur, restante sola licet afflictà respiratione, ex quâ quatuor cognoscuntur gradus. 1. Quando respiratio ad sensum plane aboletur morsque in propinquo est, nec ad spumam stertoremque producendum sufficit, Pateriens cadaveri similis jacet, in quo vita cognoscatur vel lanâ carptâ vel plumâ, aut speculo tereso naribus orique admotis; Et hæc est fortissima. 2. Quando quidem respirat sed violenter, stertor auditur & spuma apparet. 3. Quando respiratio nec violenta nec intenta inæqualis tamen ac intermittens est, 4. Quando respiratio quidem parva, aliquem tamen servat ordinem & hæc duæ posteriores species sunt debiliores, quæ plerumque, si curantur, in paraly sin terminantur, Quod fit, cum principium nervorum se è compedibus materiæ coagulatae, hæc in nervos excussa, expedit.

Univer-
salis.

Particu-
laris.

Paraly-
sis.

Lethar-
gus.

Ejusque
Species.

Tortura
oris.

qua du-
plex.

I.

II.

Particularis est Paralyfis, Lethargus & Tortura oris. Paralyfis est, cum motus voluntarius in partibus sine læsione tamen rationis perit, dicitur & Hemiplegia. Lethargus est Torpor sensuum cum inexpugnabili in somnum propensione, cujus species sunt Cataphora, Coma & Carus. Tortura oris est ejusdem involuntaria distentio, & quando æger exspuere jubetur, alterâ tantum parte id facit, oculumque alterum exactè claudere non potest; Est verò duplex: vel ex resolutione, quæ est hujus loci & cognoscitur ex eo, quod pars affecta sit laxa, mollis ad sanam trahatur, sensus in parte obtusus, facies sine rugis extendatur, palpebræ oculi ex parte decidant; morbus in parte eâ non est, quæ læsa videtur & contracta, sed in eâ, quæ laxa & illæsa apparet. Vel ex convulsione, quæ pertinet ad caducum ejusque curam; cognoscitur verò ex eo, quod pars affecta sit dura & plerumque in eadem parte dolor, sana ad tensam trahatur, Cutis in unâ parte rugosâ in alterâ non, ubi morbus est in parte læsa & quæ contracta apparet. Causa est eadem in his, nisi quod in illâ Apoplexiâ fortior & major, in Paralyfi &

Le-

Lethargo &c. debilior & minus fortis.

Curatio Apoplexiæ, præsertim fortis, difficilis est: Hippocrates aphor. 42. sect. 2. *Apoplexiam fortem nunquam, debilem egre curaveris*: item Paracels. de Gutta pag. m. 520. *Quia cælum hominis est destructum*: Sed medicum nihil magis dedecet, quam animo cadere, frustra enim quicquam præsidii speramus ab eo, quem desperatio sua à limine ægroti abegit; Deserendus in ancipiti statu nequaquam æger quindum spei artisque solamen superfuerit, tentandum potius, quod bonitas divina ad remedium indulsit. Quamprimum igitur Clyster, qui potest esse talis

Curatio

℞. Rad sigill. Salomon:
poccon.
bryon. ana ʒb.
Herb. rutha
roris marin.
beton.
meliss.
origan. an. ana Mj
flor. lavand.

Clyster.

E 4

Proc.

72 Prax. Chymiatri. Sect. I.

stoeccad. citr.

anthos.

prim. ver.

lilior. convall. ana m℥.

sem. cartham.

anis.

carvi

sesel.

dauci ana ℥j.

Croc. metallor. in petiâ ligat.

℥j.

Cog. in. q. s. aq. simpl. ℞. Colatur. ℥j.
in quâ dissolve

fellis tauri ℥℞.

mellis anthosat. ℥j.

ol. ruthac. ℥℞.

Misc. F. l. a. Chlyster.

Vena se-
ctio.

Nota.

applicetur & si ægrotus Plethoricus viresque ferant, vena sive sit noctu sive interdiu secetur; Duobus verò modis vires dicuntur imbecilles, aut à resolutione, & sic abstinendum à venæsectione, vel à suppressione ubi nulum præsentius eo remedium. In Cachecticis corporibus periculosa venæsectio est, efficax alias remedium, sed non

non absque periculo. Celsus lib. 3. cap. 28. Si membra omnia vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio aut occidit aut liberat. Hippocrates. 4. de rat. victus in acutis t. 24. in obtumescentiis venarum ἀπολήψει obortis venam brachii secare oportet. Sed quæres, cur venæsectionem suadeamus, cum sanguinem causam esse negemus? Respondeo. Licet sanguis per se non sit causa hujus morbi, ob plenitudinem & copiam verò exactè moveri non posse, per venæsectionem verò ad cor reversum motum intentiorem acquirere, quo ad cerebrum continuato coagulatum illud dissipare & ad discussionem facilem disponere posse.

Ad excitandos apoplecticos & primas corporis regiones evacuandas tumque naturam pressam ad sese liberandum irritandam valdè conducunt 1. Vomitoria eaque validiora ut Mercurius vita legitimè præparatus & justâ do- si exhibitus, Tartarus Emeticus Myns. Aurum vita &c. 2. sternutatoria, quorum potest esse tale.

Obiectio.

Resp.

Vomito-
ria.

Sternu-
tatoria.

℞. Pulv.

74 Prax. Chymiatri. Sect. I.

℞. Pulv. fol. Nicotian. ℥j.
 majoran.

flor. lilior convall. ana ℥j.

rad. Helleb. nigr.

sem. nigell. ana ℥j.

Moschi opt. ℥ss.

M. F. Pulvis.

de quo magnitudine pisi ægro in na-
res calamo fortiter insuffletur.

Confor-
tantia.
Essentia
perlar.

His peractis confortantia dentur :
Aurum potabile, Luna potabilis, quæ
vide cap. præced. *Essentia perlarum,*
quarum virtus auro propinqua. Para-
cell. de vitâ longâ lib. 3. cap. 4. pag.
m. 849 & 860. Suntque restaurati-
væ naturæ & tincturam in sanitatem
habent. De transmutatione rerum na-
turalium lib. vii. pag. m. 901. De
essentiæ perlarum præparatione lib. 3.
de vitâ longâ c. 4. pag. m. 849. & in
fragmentis ejusdem pag. m. 860. Por-
rò si perlas juxta præscriptum in
Quintam Essentiam transmutare ve-
lis pro ratione quinta Essentia age,
neque quicquam immuta præter prin-
cipium, in quo ultimam materiam,
que

Cap. VI. de Gutta. 75

qua in conficiendâ quintâ essentiâ So-
lis prima materia existit adjungi
necesse est. Ea ex ejusmodi Recep-
to elicitur. Principio redige Limo-
nem in liquorem, denuò reelevatum,
in quo per la calcinationem accipiunt,
exiccata resolvuntur, quæ resolutio
in Elementum, cui prorsus nulla com-
plexio inest, erumpit. Est enim vis
hujus universa similis quintâ Essen-
tia. Hartmannus in Chymiatr. pag.
m. 38. Essentiæ perlarum præparatio-
nis hos ostendit modos. R. Salis per-
larum per acetum facti q. v. af-
funde sp. V. rectificatissimum ad e-
minentiam 3. digit. & vase Herme-
ticè clauso illud ad digerendum in ci-
neres calidos loca ad 8 vel 10 dies.
Perla eo tempore essentiam suam ad
instar olei spissi ad superficiem ipsius
Sp. V. remittunt. Hoc oleum per in-
clinationem separa cum Sp. v. à sub-
sidentia, inque vase benè clauso ser-
va. Remanentia olei Sp. v. recen-
tem affunde & ut prius digere, ac
toties essentiam collige, cum priori con-
junge,

76 Prax. Chymiatr. Sect. I.

junge, quoties visum fuerit. Essentiam omnem collectam in cucurbitam inde, & lentissimo igne Sp. v. evoca, donec infundo instar olei essentia remaneat. Datur à gutt. vi. in vehiculo conveniente. Item. Quod si cui dicta operatio nimis laboriosa videatur, is è Citri malis abjectis corticibus succum exprimat, eumque in MB. ut depuretur, per aliquot dies detineat. Tunc R. perlas contusas vino albo lotas, in matraccio affunde succi dicti ad eminent. 4. dig. in cineres calidos loca per 8. horas, videbis perlas solvi & quasi in liquorem butyraceum converti. Huic affunde rorem majalem destill. vel aq. meliss. ut solvatur in eâ solutio perlarum, aq. effunde iterumque affunde succi dicti q. s. digere, affusaque aquâ quod solutum aufer. Hunc laborem toties repete, donec pene tota soluta sint, relictis exiguis fœcibus. Hinc liquores omnes conjunge & in cineribus igne lento aq. & succum exhalare permitte. Invenies pulverem

Cap. VI. de Gutta. 77

impalpabilem in quovis liquore resoluibilem. Cujus usus à gr. vi. ad ℥ss. ex aq. roris majalis cum mannâ destillatâ vel ex aq. Cinnamomi cum aq. rosar, destillatâ aut Buglossâ, Sed hoc potius magisterium. vid. Paracell. Archidox. lib. vij. de Magisteriis pag. m. 810. Proposito modo, inquit, processus harum etsi simplices, tamen, crede experto, mirifica operatio ipsarum (perlarum) est. Non tamen fit per artem hæc virtutum actio, sed in naturâ ipsarum est, quæ in grossâ substantiâ occultatur, & non potest operari, sicut mortuum corpus, sed resolutione factâ vivificatur corpus ejus. Felicius operaberis, si ad priorem operationem Essentiæ perlarum sumas spir. vini non communem sed Philosophicum, quem Paracelsus vocat spiritum vini circulatum.

Nota.

Essentia Corallorum. Paracels. lib. 4. de quintâ Essentiâ pag. m. 797. de vita longâ lib. 3. cap. xij. pag. m. 852. De variis parandi modis vide Johannem Ernestum de oleis variis

Essentia
Corallor.

78 Prax. Chymiatr. Sect. I.

riis Chymice destillatis. *Quercetani. Pharmacop. restit. cap. 24. Hartmannum in Crollium. Schröderum in Pharmacop. lib. 3. cap. v. Le Febure en Traicté de la Chymie. part. 2. à pag. m. 755. ad 766.*

Nota.

fit & genuina, si cum proprio menstruo, quod Corallia in se habent, ut nihil heterogenei accedat, fiat; nempe in secundâ operatione, in primâ enim solutio necessaria est, quæ fit per heterogeneum.

Essentia Antimonii.

Essentia Cheiri seu Antimonii quâ solâ se laborantem Paralyti in integrum restituisse scribit Paracelsus in curationibus. Preparationem obscure tangit tract. 2. de membris contractis. pag. m. 512. Johannes Ernestus de oleis variis chymicè destillatis sequentem communicat processum *Re. Sal. Tartari part. j. Antimonii part. ij subtilissimè terantur. (Si vero regulum antimonij acceperis erit melius) hac diligenter mixta fluant, donec non amplius effument, hoc facto effunde & videbis salem Tartari antimonio vel ejus regulo rubedinem ex-*

Processus.

Cap. VI. de Gutta. 79

traxisse in qua verum Sulphur anti-
monij latet, hoc tenuissime pulveri-
sa, & sequenti modo procede. Pre-
dicto antimonio in vitrum injecto
spiritum vini rectificatum & tarta-
risatum vel acetum destillatum tar-
tarisatum affunde, vitrum optime
obturatum, ut rubedo extrahatur,
digestioni committe: Et cum spiri-
tus vini vel acetum rubicundum fa-
ctum fuerit, illud effunde, aliudque
affunde & id tamdiu repete, donec
non amplius tingatur. Hanc rube-
dinem pellicano infusam, ad dige-
rendum per octo septimanas fimo e-
quino vel cineribus calidis commit-
te, & cum jam sufficienter putrue-
rit, in cineribus per retortam vel a-
lembicum destilla, habebis oleum an-
timonii dulce pulcherrimum perfecta
rubedinis, hoc in balneo tamdiu se-
para, donec fuerit purum & nulli
rei aliena permixtum. Quod si ve-
ro vim corrodentem non omnino
deposuit, per spiritum vini opt. effu-
sum

Sulphur
Antimo-
nii.

Oleum
Antimo-
nii.

Essentia
Antimo-
ni.

sum iterum usque ad oleositatem
abstrahere: Ita enim verum habebis
Antimonii oleum, quod erit dulce &
omnis corrosionis expers: hoc lente
admodum in lapidem coagula, cui la-
pidi rubedinem suam per spiritum
vini extrahere & spiritum rursus ab-
strahere, videbis ejus essentiam in fun-
do residere, quam aqua dulci ablue
& iterum exsicca, ita enim Essen-
tia quinta Antimonii perfectissime
erit parata, qua utere ut didicisti.
Verum processus hic non adeo facilis
ac apparet, si obiter saltem inspe-
xeris, sed operosus & pyrotechni-
ce non leviter peritum requirit, Sub-
stitui potest talis R. Antimonii lbj.
Tartari lb. iij. calcina in crucibulo,
per horas sex vel octo, post exime
materiam, tere, & cum lixivio ru-
bedinem extrahere, quam filtra, aceto
inserso precipita & salem tartari
affusa aqua calida ablue, post affun-
de spiritum vini & essentiam Ex-
trahere, qua usque ad oleitatem evapo-
retur.

Oleum

Cap. VI. de Gutta. 81

Oleum, Tinctura, Magisterium Succin.
Succin. vid. Paracels. in Archidoxis ¹⁷⁸⁰⁰¹
lib. vj. de Magisteriis pag. m. 811. Schrö-
der. in Pharmacop. lib. 3. cap. 30.
Rec. Carabe benè triti, affunde cir-
culatum i. e. spiritum vini, digere in
cineribus per dies & noctes sex:
Hinc abstrahere & toties cohoba donec
in fundo oleum appareat. Parac.
loco citato.

Oleum Sulphuris, quod est tale: Oleum
℞. Sulphuris, ceterin. comm. affun- Sulphur
de in cucurbitâ aq. fort. opt. ad e- rito
minentiam quatuor digitorum, rur-
susque ter vel quater cohobando ab-
strahere. Sulphur, quod in fundo re-
manet fuscum super marmore vel ta-
bulâ vitreâ solve in cellâ, quod statim
fiet. Paracels. de conservatione rerum
naturalium lib. iv. pag. m. 888. vel quod
est S. Clossij ℞. Sulphur. rufi ℥ij. resol-
ve in spir. Therebinth. clar. id quod
fiet inra diem super cineribus, solu-
tionem rubentem decanta, alium af-
funde, digere, separa per inclinati-
onem, faces, quæ erunt per pauca, abji-

82. Prax. Chymiatr. Sect. I.

ce. Tincturas destilla igne arena
lentissimo ex magnâ retortâ, donec
ferè omnem spiritum therebinthina
recuperaveris. Guttulis autem ru-
bris apparentibus mutetur recipiens
& ignis Paulatim augeatur, egredi-
etur oleum coccineum cum foetore
intolerabili, qualis est latrinarum,
ultimo retortâ ferè incandescente,
spissum & obscure nigricans. Hoc
rectifica & separa à spiritu There-
binthina superstite. Oleum autem
vase clauso digere per mensem in bal-
neo Maria, ubi foetorem deponet.
Plures modos vide apud Schröd. in Phar-
macop. lib. 3. cap. 38. Beguin. in Ty-
rocin. chymico cum notis Chrystoph.
Glückradts cap. vj. Le Febure en Trai-
té de la Chymie part. 2. sect. 6. sub
titulo : Comment. il faut distiller la
vraye huile du soulfre pag. m. 1180. &
seq.

Spir. vi-
trioli vo-
latis.

Spiritus vitrioli volatilis & oleum e-
jus. In volatilitate enim virtus ejus
summa & arcanum corroborans cere-
brum & spiritum vitæ. Rx. vitriolum

CRH.

crudum sed probè depuratum ac digestum, destilla per retortam, igne nudo, ita ut simul post phlegma subsequantur spiritus, quantum ejus fieri potest omnes. Quibus in excipulo subsidentibus, dum instrumenta adhuc calent, aufer excipulum, statimque in MB. aqua ferventis adaptato alembico sed probè affixo & recipiente parvo & aptè & cautè collocata, videbis statim volatilem spiritum per alembicum in excipulum transire, quem seorsim collectum diligenter serva. Ex vj. vel viij lb vitrioli vix ℥iij. ad summum ℥ss. haberi potest. Vel Solve vitriolum Vngaricum verum non corruptum in rore majali destillato, abjectis facibus & ablato ad saturationem menstruo, idem denuo lapidescere sine in frigido, postea vel calore solis vel hypocausti istius vitrioli exsiccati lb v. vel vj. destilla per retortam igne nudo, tam phlegma quam spiritus omnes. Caput mortuum exemtum tere & super idem cohobis octo hanc destillationem si-

84 Prax. Chymiatri. Sect. I.

Ol. vitrioli.

cuti prius repete, idque non nisi per
nonum alembicum absolue. Habe-
bis vitrioli spiritum penetrantissi-
mum, Dosis ℥ss. ad ℥j. in aq. conve-
nienti. Hartmannus in Crollium pag.
m. 225. & 226. Hos binos processus
selegi, quoniam ex ipso Paracelso De
rebus naturalibus cap. 8. de vitriolo
pag. m. 1052. sunt desumpti, plures vid.
apud Schröder lib. 3. cap. 25. Glau-
ber. part. 2. furnor. Helmontium Sub
titulo ignis veneris. Olei vitrioli præ-
parationes varias vid. apud authores
citatos. Et ut sulphuris ac vitrioli ma-
jorem fidem habeas, exemplo tibi sit
aurum fulminans, quod sulphure ac vi-
triolo ita figi potest, ut vim suam ful-
minantem penitus amittat, Et certè
in fulmine microcosmi, quod ex iis-
dem constat principiis ac aurum fulmi-
nans, idem tibi præstabunt officium &
à novo paroxysmo feliciter præserva-
bunt.

*Essentia
Castorei.*

Nec minimam meretur laudem *Es-
sentia castorei.* Quam Ego cum spi-
ritu salis Armoniaci volatili parare so-
leo, & efficacissimam operatione, non
solum in hoc, sed & aliis morbis, de-
prehendi.

Mixtu.

Cap. VI. de Gutta. 85

Mixtura simplex sive de tribus de
quâ Paracellus. de rebus naturalibus
cap. I. de vitriolo pag. m. 1052. Et
si hoc (spiritus vitrioli) factum, ad-
ditionem hanc magnarum virium
comperior, si spiritus Tartari correcti
addantur partes tres in respectu ad
vitriolum: & spiritus aqua Theri-
acalis camphorata partes quinque in
respectu ad spiritum vitrioli.

Mixtura
de tribus.

Et hæc in variis aquis apoplecticis
& cephalicis Aq. vitæ &c. quæ vide
in dispensatoriis, propinari queunt.
Extra ad membra laxa confortanda va-
lent oleum petra, ol. succini, Balsa-
mus sulphuris simplex & compositus,
liquor lumbricorum, oleum & spiri-
tus fuliginis &c. Sic & liquor ex
limacibus terrest. per digestionem
radiis solaribus in vitro expositis col-
lectus. Paracellus in consil. med. pag.
m. 691. Rec. Oleum pinguedinis taxi
eo modo quo vulpinum preparatur,
q. v. cui addatur vinum ardens q.
s. calefactum & tum inungantur
membra contracta. Oleum Taxi

Externa

86 Prax. Chymiatr. Sect. I.

compositum vid. apud Schröder, lib. 2. cap. 41. sub titulo Balsam. antiparalytici S. Cloffij.

*Paraly-
seos Ca-
ratio.
Essentia
Tabaci.*

In paralyfi eadem, quæ modò de apo-plexiâ dicta sunt, conveniunt remedia, inter externa laudat Hartmannus *Essentiam foliorum Tabaci* viridium cum Malvatico sine destillatione solâ infusione factam, si præsertim à sudoribus membra paralytica hâc essentiâ diutius fricentur; optimum erit si æger in Balneo Laconico sæpius sudet & ad hæc membra his modò & supra dictis externis remediis inungantur.

*Balneum
Laconi-
cum.*

*Differen-
tia à cau-
sis Exter-
nis.*

Sunt & aliæ causæ externæ unde paralyfis fieri potest. 1. Contusio, casus vel ictus, tumque protinus vena secanda 2. *Dissectio nervorum* ubi nullum remedium 3. *Luxatio vertebrarum dorfi* subito facta, quæ in quantum possunt restituendæ & remediis externis supra enumeratis inungendæ. De Paralyfi & Lethargo ex vulnere capitis vide *Paracelsi tom. 2. lib. 3. chirurgie magnæ Bertheoneæ dicto. cap. 14. & 15. pag. m. 351 & 352.*

*Ab Ar-
gento vi-
vo.*

A rebus narcoticis. ubi ratio causæ habenda, in specie ab *Argento vivo,* quæ

Cap. VI. de Gutta. 87

quæ metallariis frequens, vid. Paracels. von Berg Kranckheiten. lib. 3. pag. m. 666. & sequentibus. Curam vid. *Curatio.* pag. m. 668 ibid. quæ est talis. Insidat æger balneo, quod sit ex herbis mucilaginosi, sic & ex agrimoniâ, conis abietis, Juniperi, rad. hyrundi-
naria, lil. convall. &c. & exhibitâ Theriaca vel Mithridatio benè sudet; post inungantur membra affecta sequenti unguento,

℞. Res. Pingued. Taxi
vulpin. ana ℥ss.

Therebinthia cum piper. cantharid. & bacc. laur. destillas. ℥vij.
Castorei destill. ℥v.

M. F. unguentum

Hæc ingredientia, quia in nimia quantitate ad proportionem minorem redigi possunt.

Est & Paralyfis alia à Colicâ, de quâ à Colicâ vid. Paracels. de membris contractis tr. 1. cap. 3. pag. m. 508. In Theoricis figuris universalium morborum tabulâ IV. De generatione con-

88 Prax. Chymiatr. Sect. I.

tractorum pag. m. 673. & 674. Tra-
ctatu de Colica pag. m. 523. & se-
quentibus. Helmontii jus Duum-

Curatio.

viratus pag. m. 243. No. 20. In cu-
râ vehementiora purgantia vitentur.
Profunt Clysteres frequentes ex emol-
lientibus & carminativis, quibus alvus
semper aperta teneatur. Ad intra den-
tur Spir. Tartari à gt. xx ad xxx. Spir.
Nitri, qui misceatur cum ana spir. vini
ut fiat mixtura ℥ij ad ℥j, detur in aq.
fontanæ haustu, Spir. acidus salis ar-
moniaci, Essentia castorei cum eodem
facta, Oleum sulphuris, Balsamus sul-
phuris compositus, qui est talis.

Bals.
Sulph.
composi-
tus.

Rec. Flor. sulphuris ℔j
Galban.
Myrrha
Aloës succotrin ana ℥iij.
Croc. ℥ij.

Pulverisa & affunde ol. baccar.
Juniper. ℥iij. Spir. Therebinthè-
na ad eminentiam 3 digitorum,
Digere & destilla ut scis.

Externè supra enumerata conducunt.
vid. Paracels. in consiliis med. pag. m

Cap. VI. de Gutta. 89

691. & insuper quæ in hoc tractatu infra de Colicâ dicemus.

Alia à *Scorbuto*, quem vide suo loco. Alia *Hysterica*, quæ est morbus ex Caduco & ad curam caduci pertinent. Helmontius in ignotâ actione regiminis pag. m. 271. No. 46. Furor uterinus nervos & musculos contrahit, artus claudos efficit, tendines dislocat, musculos resolvit & membranas crispas corrugatque sola regiminis actione. Et paulò post. Tum demum Paralytes, spasmos, palpitationes, tremores & syncopes profert, nervos contrahit. Quæ per Corallii tincturam volatilem, oleum succini, Salem chalybis & his similia indies sano. Mitiora eadem Narcoticis obediunt. Atrociora quoque majora Chymix arcana requirunt.

In Lethargo eadem locum tenent, quæ in apoplexiâ, nisi quod purgantia mitiori dosi exhibeantur.

à Scorbuto.
ab utero.

Curatio.

Lethargi
curatio.

CAP.